



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

Epistola CCCIV. Ioannis Papae VIII. Ad Ravennates. Dolet eorum antistitis  
morte. monet, vt electum ab eis archiepiscopum congruo prosequantur  
honore: ecclesiam Rauennatem, & Deusdedit & Ioannis ducum ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

de rebus eius sui famuli abstulerunt, reddere huic per omnia faciat, ipsi archiepiscopo deportate, & coram sacerdotibus, & iudicibus ipsam legere facite; similiter autem & monasterium sancti Martini secundum nostram iussionem, Ioanni diacono, & chartulario pro nostro reddat amore. Nam & mansionem, quam Maimbertus ab ipso diacono suam per fraudulentiam abstulit, simili modo eum cum Petro nepote suo inuestire studete. Data ut supra, in dictione xv.

## EPISTOLA CCCIV.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

AD RAVENNATES.

Dolet eorum antistitis morte. monet, vt electum ab eis archiepiscopum congruo prosequantur honore: ecclesiam Rauennatem, & Deusdedit & Ioannis ducum bona defendant.

*Sacerdotibus & senatu populoque Rauennati fidelibus nostris.*

**R**AVENTATIS antistitis, vestri videlicet patris obitum audientes, valde dolemus; pro quo vt oretis hortamur: solitam vero, tantamque fidelitatem vestram erga nos vnitate vigere cernentes, imo gaudemus, & vt omnipotens intercessione apostolorum principum vos patre desiderato recuperet, vestro pro velle decertabimus. Ceterum monentes hortamur, & expresse iubemus, vt iam quem vnanimiter, quomodo scripsistis, elegistis, vnanimiter eum electum teneatis, diligatis, & vestro de more honoretis: & vsquequo, Deo annuente, praesentia pontificii nostri desiderio vestro illuxerit, Rauennatem ecclesiam ab omnibus hostibus defendite, deprædationibus pro posse leuate, ne ipsa ecclesia aliquam deprædationem sustineat: quoniam nos hoc inultum nunquam dimitemus, & prædatores prædatorumque receptores legali vigore modis omnibus feriemus. Porro præcipimus, vt res mobiles & immobiles, seque mouentes, Deusdedit, & Ioannis gloriosorum ducum nostrorum consiliariorum saluare, & in illas, quas hactenus inuasas habuerunt, nullam inuasionem facientes, illorum hominibus defendite: iam quia nostro

nostro vtuntur seruitio , nostra modis omnibus debent  
perfrui defensione , seruatori huius iussus , gratia corrupto-  
ris pro iussu erit nihilo minus compositori.

Locus cor-  
ruptus.

## EPISTOLA CCCV.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

AD HVGONEM ABBATEM.

Hortatur suadeat Ludouico regi vt ad se veniat. monet  
etiam , vt se a quorumdam communione separet.

*Hugoni strenuo nobili , regali profapia edito , atque  
excellentissimo abbatu.*

**Q**VANTO vos , carissime fili , amore diligimus celebr-  
rima fama vestri boni operis circumquaque accensi ,  
explicare verbis nullatenus possumus. Quapropter , vt no-  
stro desiderio præsentia vestræ capiamus effectum , matu-  
re volumus hortemini Ludouicum regem filium nostrum ,  
vosque cum eo ad nos concite properare : quatenus , Chri-  
sto cooperante , exaltationem totius Christianitatis com-  
muniter operemur. Sic agat vestra dilectio , vt tristitiam ,  
quam animo de vestra absentia nuper Papia intulisti , leni-  
re moderatissime valeatis. Inter haec ab omni te consortio  
Formosi anathematizati optamus , fili carissime , separare ,  
\*d. Ro.  
donet.  
fi, Ioannis archiepiscopi \* Rodomensis , Adelardi Turonensis ,  
Frotarii Bituricensis. Data vt supra.

## EPISTOLA CCCVI.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

AD CAROLVM REGEM.

*Embolum vt Carolomannum regem in ecclesiæ Romanæ  
dilectione confirmet.*

**I**AM quod te , carissime fili , tantæ deuotionis , tantæque  
fidelitatis erga vestræ matris Romanæ ecclesiæ pontifi-  
cium esse videmus , tamquam vtero natum monentes ro-  
gamus , flagitantes hortamur , vt pro amore apostolorum  
principum , quasi vestro proprio consulto , nec repræsenta-  
liter , Carolomanno glorioſo regi mittatis , consilium dan-  
tes , vt antiquos honorans amicos , fruens caritate , ad paren-

*Concil. Tom. 24.*

Yy